



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Antidota Evangelica Contra Horvm Temporvm Hæreses**

In Qvibvs Quatuor Euangeliorum illi textus explicantur, quibus vel hæretici hodie (maximè Caluinus & Beza) ad sua dogmata propugnanda vti solent, vel ad hæreticorum dogmata impugnanda Catholici vti possunt

Antidotorum Evangelicorum D. Thomæ Stapletoni, S. Theol. Doctoris, & in Academica Louaniensi S. Script. Professoris Regij, Pars Altera - In Sacrosanctum Euangelium secundùm Ioannem

**Stapleton, Thomas**

**Lvgdvni, 1595**

42. Tu vocaberis Cephas, &c.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39480**

in sua metonymia non signum pro re, sed rem signatam pro signo à Christo effertur vult; vt dicens, *Hoc est corpus meum*, corpus effertur pro pane significante corpus. Quare etsi hic esset aliqua metonymia vt columba signum esset descendens Spiritus qui verè non descenderet (quod planè falsum est) tamen comparatio eius locum non haberet. Hic enim poneretur signum pro re signata, columba pro Spiritu S. At in Christi verbis effertur corpus pro pane iuxta Caluinium, id est, res signata pro signo; quod est contra naturam, metonymia: de quo plura apud Matth. diximus.

Matth. 26.

#### 42. Tu vocaberis Cephias, &c.

Cyroll. lib.  
2. cap. 11.  
Chrysof.  
homil. 18.

Primatus  
Petri.

Caluini  
cauillatio-  
nes in  
sa.

CHRISTUS hic Simoni fratri Andreae nomen nouum vt promittit, vt iudicant Cyrillus & Chrysof. in huoc loco; vel nunc imponit, vt tenet August. de consens. Euang. lib. 2. cap. 17. & 53. & lib. 4. capite 3. (& prior sententia probabilior videtur) proprio tamen eius nomine retento. Vbi duo Christus significare voluit. Primum quòd in veteri nomine non mutato ceteris Apostolis æqualis ac similis esset alterum quòd nouo nomine superaddito super Apostolicam dignitatem primatum accepturus esset. Cephias enim in lingua Syriaca significat non quemlibet lapidem, sed magnum lapidem, qualis in fundamento ponitur: quod etiam Christus ipse Matth. 16. expressit dicens eidem: *Tu es Cephias, & super hunc Cephiam edificabo Ecclesiam meam.* Notandum quoque quòd Christus hæc verba illi dixit, *Intuitus eum*, id est, sicut supernaturali intuitu proprio nomine eum vocauit quem antea non viderat, patrisque nomen adiunxit; ita super naturali intuitu futurum eius nomen ac potestatem nomine significatam prædicit. Sed hanc totam obseruationem literæ Euangelicæ in hærentem veritatis Euangelicæ hostis Caluinus putidis suis cauillationibus explodere conatur. *Ridiculi* (inquit) *sunt Papistæ, qui Petrum in Christi vicem substituant, vt sit Ecclesiæ fundamentum: quasi non ipse quoque in Christo, cum reliquis fundatus sit.* Ridiculus nugator Caluinus est, qui hoc Papistis obiecit, quod nullus Papista dicit. Non enim Petrum in Christi vicem substituant, vt tale sit fundamentum Ecclesiæ quale Christus est, perinde ac si in Christo cum reliquis non fundaretur: sed vicarium illum esse fundamentum, ab ipso Christo suam semper Ecclesiam ædificante positum, iuxta manifestissima Christi verba Matth.



Matth. 16. affirmant. Hæc si Calvinus non intellexit, *qua ignoravit, blasphemavit*: si intellexit, cauteriata conscientia *in hypocrisi mendacium loquutus est.* Addit adhuc Calvinus. *Bis autem ridiculi sunt, dum ex lapide Caput faciunt.* An non rantundem Iudæus aliquis contra Christianos garrinet, qui Christum lapidem angularem *Caput super omnem Ecclesiam esse prædicant?* Planè enim sicut Christus lapis angularis, cui totum innititur ædificium, est hoc nomine caput & principium vitale totius Ecclesiæ; sic Simon factus à Christo petra & lapis fundamentalis, est caput Ecclesiæ vicarium à Christo constitutum. Aliquid pro Evangelica veritate dixisse hoc loco sibi visus est Calvinus, quòd Christus his verbis *futuram in Petro fidei constantiam, & gratiam inuicta fortitudinis,* quam illi daturus esset, illi prædixerit. Sed hoc commentum Calvinianum, ipsamet Christi verba huius noui nominis sensum explicantia perspicuè euertunt. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* De robore ac fortitudine loquitur Christus non Petri personæ peculiari (in qua Paulus aliique Apostoli Petro inferiores non erant) sed respectu Ecclesiæ suæ super talem petram ædificandæ, vt latius ad Matth. cap. 16. dictum est. Calvinus nihil attendit litera Evangelica, sed penitus despecta, suum substituit commentum in schismatis sui fauorem, qui huic Christi vicario lapidi adherere recusat.

46. *Et dicit ei Nathanael: A Nazareth potest aliquid boni esse?*

**N**athanael iste, verus Israelita, & in quo dolus non esset, rectus ac simplex ac timens Deum, & in Scripturis bene versatus ac doctus, vbi audiuit à Philippo, *quem scripsit Moyses in lege, & Propheta, inuentum esse Iesum à Nazareth,* tamen iuxta Scripturas ex Nazareth, aut ex tota Galilæa, vt postea Nicodemo obiectum fuerat, venturum Messiam non meminerat, sed ex Bethlehem Iudæ, admiratur quidem & dubitat de testimonio Philippi, non tamen illud prorsus repellit, nec proteruè reluctatur. Multo se aliter habent nostri temporis hæretici, homines dolosi ac proterui, qui statim ac vnam voculam Scripturæ suo iudicio intellectam & expositam nacti sunt, contempnunt non vnum aut illiteratum hominem, qualis Philippus tunc erat, sed omnes Doctores, totam antiquitatem, totam Ecclesiam. Non